



*S. Red.*

E libris  
gymnasio Mauritiano Magdeburgensi  
a venerabili  
**Carolo Funk**  
theol. doctore et gymnasii directore  
a. 1857 hereditate relletis.

*G. f. 171.*

102

## EXSEQVIAS

**VIRI MAGNIFICI ET CONSULTISSIMI  
DOMINI**

**ANDREAE IACOBI  
EX NOBILISSIMA ET PERVETVSTA  
HOFFMANNORVM**

LIBERAE ATQVE IMPERIALIS NORDHVSÆ  
CONSVLIS, TEMPLI NICOLAITANI CVRATORIS,  
SCHOLARCHÆQVE GRAVISSIMI  
CETERA CETERA  
IN IPSO AETATIS FLORE,  
ATQVE IN MAXIMA RERV M BENE GERENDARVM SPE  
FATO HEV NIMIS INTEMPESTIVO  
DIE XXVII. FEBR. MDCCXXV.

PROSEQUEBAIT  
JOHANNES IOACHIMVS MEIER, HILD. SAXON.  
PASTOR PETRINVS, HAGIO-SYNEDRII ASSESSOR, SCHOLAE  
VIRGINVM INSPECTOR, ET ORPHANOTROPHUS  
ADMINISTRATOR.

**N**DVE funereas pullato syrmate vestes  
NORDOPOLIS, passisque sede perculsa capili-  
lis,

Rumpe sinus, et scinde genas, atque imbre fluente  
deplora repetita TVAE tot vulnera gentis.

Nam tuus immitti fato nunc sternitur ATLAS,  
et Lachesis tua sceptra manu sublimia frangit,  
HOFFMANNVS CONSVL, quo non vigilantior  
alter,

Occubuit, didicique mori, qui viuere longum  
dignus erat, Pyliique sensis contingere soles,  
Cumanaque dies. IUVS iam grande cadauer  
efferimus, cineresque PATRIS coniungimus vmbbris. (a)

Hei mihi! quam variiste fors inimica fatigat,  
O NORDHUSA, malis! quantis iactatis in vndis!  
Post pelagi rabiem, tempestatesque sonoras,  
post gelidos nimbos, iterataque fulmina coclo,  
vnda videbatur vix detumuisse, furorque  
cesserat Acoliae gentis, vultuque sereno,  
discussis tenebris, ridebat amoenior aura.

Sed quam flant fragili quaevis mortalia talo!  
Nil constans sub sole viget! nunc gaudia moestos  
insperata mouent animos, minutque dolorem  
improuisa boni facies: nunc aspera rursum  
fata cident lacrimas, facilesque tragoeadia risus  
subsequitur, tragicosque petit mens aegra cothurnos.

Quis negat hacc, quae vera loquor? TVA moe-  
nia testor,  
NORDOPOLIS, dudum miseris exercita fatis!  
Nunc tibi felici cecidit laeta alea iactu,  
nunc damnosa Canis casum est iaculata malignum, (b)  
Nunc tibi jucundis fluxere negotia votis,

(a) Voluit enim Vir B. sepeliri iuxta B. parentem in aede Blasiana.

(b) Sicut qui apud priscos Romanos talis iudebant, iactum felicissi-  
mum Venerem; sic idem in eum infortunatum canem; vel canicu-  
lam dicebant. Persius Satir, III, 49, *damnosam* vocat *caniculam*,  
vid. LVBINVS in h. l.

RECTORESQUE tui sine caede et sanguine ciues  
imperio frenant placido, sceptroque cōcēcent.  
Nunc alia incessit facies tristissima rerum,  
qui que videbantur viēturi Nestoris annos,  
heu dolor! ante diem fato properante necantur.

Primūm PAVLANDVM tristi mors funere mergit,  
neue viri curat crudam viridemque senectam.  
KRAMERVS sequitur, qui sumtos ponere fasces  
cogitur, atque niuem Consul semel ille cadentem  
viderat, et Cererem curuata falce resectam.  
Excipit hunc Consul, cuius nodosa podagra  
letho finitur, qui diri tormenta morbi  
adflictamque animam liquidam exhalabat in auram  
RIEDELIVS. Septem vix actis mensibus inde  
HVXHAGIVS Consul pallentibus additur umbris.  
Vah! quot anhelantes tunc surrepsero dolores  
in rōstris, NORDHVSA, tuis! quot in ore querelae!  
Nec tamen id satis est, nam lamentabile carmen  
integrat, et planctus tursum NORDHVSA lacefit,  
lethaco Consul dum somno mergitur OFFNEY.  
ille videbatur contingere Nestoris aeum;  
Sed cadit ante diem, tumuloque infertur aucto.

At noua nunc iterum nos terrent vulnera, clades  
et repetita nouos nunc ciuibus incūtit ictus.  
Namque inter PROCERES nostros sua spicula Clotho  
vibrat, et adflictos terret mors inuida ciues,  
HOFFMANNVMque rapit properato funere no-  
strum.

Hei mihi! quo properas, CONSVL dignissime? sist,  
Siste gradum, neque TE ex oculis subducito nostris!  
Immaturus obis, veluti succisus aratro  
flos cadit, aut lasso moriuntur lilia collo.  
Dic mihi, cur turpes, conspirantesque latrones  
et curuas animas, telluris inutile pondus,  
non nisi post seram mactas, Libitina, senectam?  
Solos Heroës terris ostendis iniqua.

Ec:

Ecquid agis, Lachesis? si per te Tullia Erynnis  
falce cadit, quae dura patrem stridore rotarum  
inductis calcauit equis; si Metius ille  
proditor, aut patria plenus Catilina furoris  
seditione perit; si Caesat traditur orco;  
si Nero, et Antiochus feralibus occupat vmbbris,  
non te, Parca ferox, in ius arcessere vellem,  
damnarem neces: sed cum furiosa Platonem,  
Socraticosque viros, Marcellos atque Catones,  
opprimis; ipse dolor circum praecordia sacuit,  
ingratumque ciet turbata in mente tumultum.

Sed quid ego haec frustra? mors surda, et nescia  
immiti nostras non suscipit aure querelas.  
Ista rapit quousque, mors sceptr'a ligonibus aequat:  
mors nullum discrimin' habet iuuenisque, senisque.  
Sic placitum superis! sunt certo limite fines,  
ultra quos vitam non proroget arte Machaon,  
migrandum est, quando vrna vocat, quando vrget  
olympus.

Ergo parce tuis lacrimis, NORDHUSA, dolori  
frena adhibe, et mentis prudens compesce tumultus!  
HOFFMANNVM nostrum coeli super asta locauit  
ille DEVS, qui cuncta regit mortalia solus.  
Tu tamen interea viues, HOFFMANNE, per acuum,  
pectoribusque inscriptus eris: non longa dierum  
Te nobis adimet series, et nescia busti  
Gloria TE, laudesque tuas ad sidera tollet.



78 M 428

Sign. (188) fehlt bzw.  
kotl. nicht vergeben!



56.

KOT

Ratio





**EXSEQVIAS**

**VIRI MAGNIFICI ET CONSULTISSIMI**

**DOMINI**

# **ANDREAE IACOBI**

**EX NOBILISSIMA ET PERVETVSTA**

**F M ANNORVM**

**PROSAPIA EDITI**

**QUE IMPERIALIS NORDHVS SAE  
TEMPLI NICOLAITANI CVRATORIS,  
LARACHAEQVE GRAVISSIMI**

**CETERA CETERA  
IPSO AETATIS FLORE,  
MA RERV M BENE GERENDARVM SPE  
O HEV NIMIS INTEMPESTIVO  
XXVII. FEBR. MDCCXXV.**

**EXTINCTI**

**PROSEQUEBATVR  
IOACHIMVS MEIER. HILD. SAXON.  
ENVS, HAGIO-SYNEDRI ASSESSOR, SCHOLAE  
M INSPECTOR, ET ORPHANOTROPHAE  
ADMINISTRATOR.**

**Farbkarte #13**

